Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31638
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

cuit deus in die septima ab omnibus operibus suis. Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut et a suis deus. Significat enim beatitudinis illius tempus, quando iusti post agonem seculi istius eterna requie perfruuntur; quod impiis utique non dabitur, qui in sua malignitate duruerunt.

Audite iudei. Conclusio psalmi.

Audite iudei sacrilega mente durati, ut si beneficia non recolitis, saltem debita supplicia formidetis. Quid est aliud in requiem domini non introire, nisi perpetua supplicia suscipere? Non vos implicet quesumus error alienus; patrum vestrorum desideria meliora conditione mutate. Si aquas in siccitate petitis, ad fontes domini convenite. Si manna desideratis, corpus domini salvatoris accipite. Illa dederunt patribus vestris penam; vobis ista tribuunt requiem sempiternam. Quin immo priores vestros fide superate, qui incredula corda respuite; audientes illuminationem divinam credite, quod etiam illi videntes cecata noluerunt voluntate recipere. Nolite dissimulare, dum tempus est. Nam sustinebitis postea iudicem, si modo nolueritis agnoscere monitorem.

Incipit psalmus xcv. Canticum david. Quando domus edificabatur post captivitatem.

Quantum ad litteram pertinet, tempus istud significat in titulo, cum a zorobabel filio salathiel post captivitatem therosolimitanum templum constat esse reparatum, quod ad usque superficiem terre chaldeorum manus inimica destruxit. Sed cum nichil tale in subsequentibus dicat, ne aliquando titulus discrepet a narratione psalmorum, restat ut eum spiritualiter exquirere debeamus. Destructa domus edificatur, quando anima post captivitatem peccati ad intelligentiam veritatis cepit domino prestante remeare. Domus enim ista id est universalis ecclesia, in qua christus inhabitat, vivis lapidibus semper exstruitur, quia cottidie de confitentibus edificationis sumit augmentum, nec edificari desinet, donec ad finem seculi usque predestinatorum numerus impleatur. Mente sane condendum est, psalmum hunc secundum esse eorum qui de primo et secundo adventu domini proloquuntur.

Divisio psalmi.

In prima parte psalmi commonet propheta generalitatem cantare domino, et in toto orbe terrarum annuntiare dominice incarnationis adventum, quoniam super omnes deos ipse verus est dominus. Secunda parte diversas ammonet gentes, ut primo semet ipsos offerant, postea munera predicationis exsolvant; domini adventum utrumque commemorans, quando iudicatus est ab homine, et quando iudicaturus convenit mundum.

Cantate domino canticum novum, cantate domino omnis terra. Superiori psalmo commonuit propheta iudeos, ut deposita duritia cordis ad credulitatem venirent domini christi. Sed quia in illis permansura erat obstinata malignitas, convenienter nunc admonet gentes, ut canticum novum debeant edicere. Cantat enim domino canticum novum, qui veteri homine deposito per gratiam baptismatis feliciter innovatur. Et tunc de ipso domus edificatur domini, quando post imperium diaboli innumerum beatissime congregationis acquiritur. Iste cantus est qui mentem purissimam consolatur, ista modulatio que medullitus delectat, quando vere cantat anima, que se a peccatis per dei gratiam estimat esse liberandam. Sequitur: Cantate domino omnis terra. Repeticio ipsa suavis est, nec in tali verbo potest esse fastidium, ubi se nullus explere valet affectus. Dicendo omnis terra, catholicam significat ecclesiam, que per cunctum orbem noscitur esse diffusa. Brevi enim compendio et iudeum confutavit, quia gentes admisit, et donatum destruxit, quia generalitati confessionis gratiam non negavit. Nam ut homines intelligeres, cantate dixit, qui revera possunt laudes domini personare; deinde quia pluralem numerum aptavit ad terram, quod utique non conveniret, si tellurem voluisset intelligi. Dicit:

Cantate domino et benedicite nomini eius; bene nuntiate de die in diem salutare eius. Non vacat quod ista repeticio trino decore constructa est. Laus enim christi totius honor trinitatis est. Ipsius enim nomini benedicimus, quando salutare nostrum per omnia confitemur. Que figura dicitur ypymone, id est repeticio crebra